



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CCII. Der Bischof Ludwig giebt dem Domcapitel das Patronatsrecht über die Kirche im Dorfe Groß-Lubars, am 1. Jan. 1329.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

modo tu, et familiares ipsi causam non dederitis interdicto, nec id contingat tibi et eis specialiter interdicti. Nulli ergo etc. Datum auinione, XI. Kalendas Nouembris, anno Duodecimo.

Nach einer Abschrift aus dem Vaticanischen Gesb. Archive Anni XII. Reg. litt. comm. Epist. 601, p. 213, P. 1.

CCII. Der Bischof Ludwig giebt dem Domcapitel das Patronatsrecht über die Kirche im Dorfe Groß-Lubars, am 1. Jan. 1329.

In nomine domini. Amen. Cum labilis hominum memoria et varii rerum eventus, restat, ut ea, que aguntur, scripturarum testimonio solidentur. Eapropter nos Ludovicus, dei gratia episcopus ecclesie Brandenburgensis, coram presentibus lucide recognoscimus et ad noticiam deducimus futurorum, quod ecclesiam parrochiam in majore Lubas, ejus collatio et presentatio ad nos, cum vacaverit, de jure dinoscitur pertinere, reverendis dominis nostris, Hinrico preposito, Gevehardo priori, totique capitulo ejusdem ecclesie Brandenburgensis auctoritate ordinaria presentibus incorporamus et incorporando omne jus, quod in ipsa ecclesia habere dinoscimur, transtulimus et presentibus in dei nomine transferimus jugiter possidendam, ita ut dictam ecclesiam uni ex suis canonicis aut alicui seculari clerico locare poterint, conferre aut ad tempus committere et in usus suos conjunctim vel divisim convertere, quando et quotiens ipsis expedire videbitur, pro suo beneplacito voluntatis, ita tamen, ut jura episcopalia ac archidiaconi de dicta ecclesia per plebanum, qui pro tempore fuerit, solvi valeant, et ut idem hospitalitatem de bonis sibi assignatis commode exercere queat, et ut ecclesia eadem in divinis officiis aliqualiter non fraudetur. Ut autem ea, que sic pie gesta sunt, inconvulsa et inviolabiliter perpetuis temporibus perseverent et a nostris successoribus illesa observentur, presentem literam dicto capitulo nostro sigillo vallatam dedimus in testimonium premisorum. Acta sunt hec Scrapstorp, anno domini M^o. CCC^o. XXIX^o. in die circumcissionis domini nostri.

Nach einer Copie im ältern Copialbuche.

CCIII. Friedrich von Stechow gründet den St. Andreas-Altar in der Domkirche, am 3. Febr. 1329.

Nos Hinricus, dei gratia prepositus, Ghevehardus prior, totumque capitulum ecclesie Brandenburgensis, universis Christi fidelibus presentis etatis et postere volumus attestatione presentium esse notum, quod Fridericus de Stechow salubriter intendens, volens opera justitie virtutis preclarissime feliciter operari, unum altare in honore beati Andree ob spem salutis promerende in cathedrali ecclesia Brandenburgensis appositione duorum talentorum approbatione totius conventus dotavit, que quidem talenta dictus Fridericus a nobis emit et comparavit, et nos ei vendidimus et dimisimus ex censu stagni nostri in Rediz, cum omni jure perpetuis temporibus, sicut nostra ecclesia tenuit et habuit, altari hujusmodi apponenda, ad quod tres misse pro defunctis et una votivalis singulis ebdomadis observentur. In festo quoque beati Martini officianti dictum altare pretacti redditus